



LESSUS

M. ERNESTI VVULSTORPII,
Scholæ Patriæ Rectoris, super mortem repentinam
Chari Discipulorum paris,

JOHANNIS-CHRISTIA-
NI BECMANI,

ET

PETRI-HEINRICI
SPORII,

Quorum ille à Clarissimo

CHRISTIANO,

Theologo eximio, ac Superintendente Serveſt. d. 3.
Martij, anno 1619. Ambergæ natus, d. 24. Aug. circa
h. 10. vespert. Anno ætatis decimo
nono denatus:

Hic PETRI filius,

*d. 23. Aug: anno ætatis 17.: uterq; intra biduum epidemiâ pestis
lue extinctus diem suum obiit,*

ANNO CHRISTI, M. DC. XXXVII.

Cui Lessui

In sui erga demortuos Commilitones, cum primis
verò BECMANNUM, amoris atq; doloris contestatio-
nem conjuncta sunt quorundam
deproperata

PRIMANORUM EPICEDIA.

SERVESTÆ, Typis Andreae Bezelij,

Anno M. DC. XXXVII.

M. ERNESTVS VVILSTORPII
Scholæ Patris Rectoris in Universitate
Gotttingensi
IOHANNIS-CHRISTIA-
NI BEGMANNI
PETRI-HEINRICI
SPORTI
Gotttingæ à Clav. fuit
CHRISTIANO
Theologo exornato, ac superintendente servit. d. g.
Mense anno etc., à imperatore hanc, d. 24. Aug. circa
h. 10. vespere Anno status decimo
nono denique
Die 1. Aprilis
Anno Christi, M. DC. LXXVII.
In sui gratia demeritos Gottlingenses, compertis
reid. BEGMANNIUM, et aliorum, huiusmodi
nem congrua in gratiam
deprecatæ
PRIMAVERIAE ACADEMIAE
SERVATA, Typis Andreae Beselii
Anno etc. DC. LXXVII.



Lessus

M. ERNESTI WULSTORPII.

ERgo virile etiam robur, quod nominis omen,
BECMANNI fractum morte furente cadit!
SPORIUS effugere haut potuit *calcaria* dira,
Queis hominum vitam jam ferit atra lues.
Scilicet id juris mortales sumit in omnes
Ille trucidis stimulus mortis, habet que sibi.
Peccatum verò primævâ ab origine tractum,
Vel stimuli admissum novimus esse loco.
Hinc mors, dum caræ disrumpat stamina vitæ,
Tanta vibrat pharetrâ spicula totque suâ.
Hinc ad ducendæ funesta theatra choræ
Provocat humanum, provocat omne genus.
Hinc licet horrescat florens ætate juvenæ,
Plenaque mœstitiâ corda metuque gerat:
Nuncia nec veniant accepta vigentibus annis,
Quæ fert terrigenûm vis inimica gregi:
Et puer & juvenis senibus putet ista ferenda,
Atque sibi vitæ secula longa petat:
Has nil *Morta* preces, nil vota morata, retortis
Luminibus, tales fundit ab ore sonos:
Me tua me frustra vocitas in vota, juvenus,
Æquâ vitales cuspide pulso fores:
Tollo *senes*; tollo *juvenes*: Ego tollo *puellas*:
Tollo *fœmellas*: tollo subinde *viros*.
Luxuriam reprimo deprensam, jamque patescit
Ira furens quasvis nostra patrum ante fores.
Blasphemias spargunt voces pueri atque minores,
Quas tamen haut senibus displicuisse scio.

Indulgere gulæ & cyathos vacuare capaces
Artis opus: sceleri non modus, imò decus,
Antevenire scelus juvat, & cohibere protervos;
In rectam errantes fas revocare vias:
Aut! sanè rapiendo probos, prævertere tantis,
Crimina pravorum quæ meruere, malis.
Ergo opus hic mediis, famulis mihi protinus usus:
Surgite *Morbilli, Pests*, adesto *Febris*,
Ite, ite ô, jubeo, mandata cape site nostra,
Corpora que imperio prava domate dato,
Ne vobis ullo veniant discrimine egestas,
Ætas, sexus, opes: Nil juvet ullus honos.
Vos agite ô plagis consumite, sternite quosvis,
Dedite pro meritos immeritosque neci,
Vix ea fata fuit: jussa exhaurire parati
Morbilli densè corpora parva premunt.
Insequitur, viresque suas *Febris* exerit ardor,
Urit & exurit corpus & ossa simul.
Ante alios *Pests* famulos immanior omnes
Durius affligens obvia quæque necat,
Illicet hinc crudo confectus vulnere mistim
Vir animam expirat, *fæmina, virgo, puer*,
Jamque; ubi per totam grassata diutius urbem
Tandem non metuit tecta subire *Schola*.
Nec mora: & in SPORIUM contorquet spicula, in ipsam
Indeque BECMANNUM, pectoraque ima ferit.
Heu dolor! Heu nimium crudelia spicula *Pests*!
(Sternere discipulos?) Ictus uterque cadit.
Hocceine commeruit *probitate modestia* fulgens
Vestra? Aded vitam, *corcula chara, brevem* &

Sic.

Siccinè virtutem curare, & temnere mores?
 Ingenii dotes momine ferre brevi?
 Exhibitum charis genitoribus atque magistris
 Dita nec obsequium flectere fata potis?
 Spem tantam fecisse Suis, fecisse Magistris,
 Ac Patriæ, & cunctis: sed tamen usq; brevem?
 Cum primis, BECMANNE, tuum Pietatis amorem
 Tàm frustra penitus Fatum habuisse feram?
 Non, quos fecisti meritâ cum laude, Profectus
 Tàm sævo evicto prævaluisse Malo.
 O spes fallaces! ô tot tantosque labores
 Jam frustra impensos interiisse Meos!
 Vestranè mors laudi mihi cedit? Amornè parentum
 Aut favor, extinctâ prole, superstes erit?
 Sic equidem spero: Nec enim post fata peribunt
 Laus præceptorum, discipulùm vé decus,
 Credo: satis doctos terris, mage Jova docendos
 Vos in cœlestem transtulit ipse scholam.
 Discipuli sanè felices atque Magistri,
 Queis informari sic datur arce poli!
 Intereà vos, ô Ludii trivialis Alumni,
 Filiolos jubeo præmoneoque meos.
 Discite vos obitu Sociorum, discite, docti
 Crimina ceu pestem quæque cavere trucem.
 Sit vobis curæ mandato munere fungi,
 Atque juvet monitos vos latuisse domi.
 Fidere vernantis flori nolite juventæ:
 Hora necis, quâ non esse putatur, adest.
 Vestrorum vestramque Deo committite vitam,
 Vitaque gaudebit vividiore statu.

EPICEDIA PRIMANORUM.

I.

UT ROSA, mane novo quæ pandit amœna galerum;
 Pòst deijcit æstifero igne
Vultum: Sic, BECMANNE, cadis sub flore juventæ,
 Viridique occumbis in ævo.
Namque senis dignus longævi vincere secla,
 Ast inclementia fati.
Ante diem rapuit te vix virtutis egentem,
 Condiscipulo, tuo amico,
Dum, velut in pratis flos, letho lumina solvis
 Ceu mortis falce resectus.
Heu duram mortem, nec dignam nomine, fila
 Tibi quæ ante diem abscidit ævi!
Sed benè: Templata tenent te nunc pellucida cœli?
 Ast hic mala fata premunt nos.
Nos hic circumstant millena negotia rerum,
 Luctusque manent, lacrymæque.
At tu cum Christo supremo dulciora rebus
 Tranquillis ocia carpis,
Lætus in ætheriâ nova gaudia percipis arce;
 Frueus requieque perenni.
Quò, cum fata volent, hilari te mente sequemur,
 Cernentes ora JEHOVÆ.
Intercèa tumulo placidè, BECMANNE, quiescas,
 Vivatque in Christo anima ipsa!

Animo lugenti conscriptum

Georgio Enckio,
Serevest. Anh.

Vox

VOx nuncia aures dum pepulit meas
 Clamore, verbis cordicremantibus,
 BECMANNUM acerbum voce novissimâ
 Dixisse nobis perpetuum-vale.

Nonne Ego pectus percutiam meum?

Nonne Ego condam carmina tristia?

Carmina quancquam carmina frigida,

Luctusq; quancquam diffuit mihi.

Amisisti pectus lacrimulas tamen:

Flendumq; mæsto jam meritò mihi,

Si lacrimæ omnes sufficerent modò;

Si lacrimæ omnes proficerent modò.

Amisi Amicum non reparabilem;

Amisi Amicum non revocabilem;

Heu quanta patri jam senio gravi

Heu quanta luctus materies datur!

Hunc lugeamus pectore flebili:

Hunc lugeamus carmine lugubri;

Nulla sonora nos citharæ juvent;

Nec suave plectrum, dulce vè barbiton.

Nunc

*Nunc hic beatus sideream tenet
Arcem, supremas letitias capit:
Cræsi reduci non opibus cupit,
Nostros caducos floccifacit dies.*

Joachimus Christianus Kniechen/
Serveſt. Alumn.

III.

Vultum jure meum nunc rigo lacrimis,
Nunc, quando video funera tristia
PECMANNI, subito in flore tenerrimo
Denati ante diem vi rigidâ necis,
Qui condiscipulus junctus erat fide
Constantis Pyladæ: Huic versiculis meis
Postremum officium solvere debeo.
Vultum jure meum nunc rigo lacrimis,
Nostris si lacrimis, planctibus aut meis
Ex cœli æthereâ sede reducier
In terram ipse queat, restitui aut Suis.
Sed frustra: Invideo gaudia cœlica
Non ipsi, capiat lætities suas:
Nos nostræ fragiles lætitiæ manent.

*Lubens faciebat, sed lugens
Andreas Lampertus Serveſtâ-Anhaltin.
Qua*

IV.

Qua non tristia mors facit?
 Quod non, queso, solo fata struunt malum?
 Miscent nubila lucidis:
 Angor letitiam pellit amabilem:
 Nil constans homini manet.
 Verti conspiciamus singula; Quae vigent
 In terris, subito ruunt.
 Nam quae summa tenent, ima petunt modò:
 Aetas edocet hoc Patrum:
 Attestantur idem secula singula.
 Heu condiscipulus bonus!
BECMANNUS cecidit, qui paria foret,
 Nec non grande Suis decus.
 In fatiis fuit hoc; proh dolor, occidit:
 Fatum est irrevocabile,
 Mortales morere: est lex rata singulis.
 O Parcas nimis heu truces!
 Frenandas neq; vi, nec pretio aut prece.
 Immites nimis heu quoq;!
 Quae pulsant inopis, divitis & fores.
 Aequant sceptratigonibus.
 O **BECMANNO** igitur scribite mortuo
 Vos condiscipuli metra.
 Mœrentiq; animo flete obitum ipsius!
 Esto sed lacrumis modus:
 Nam latus supero vivit hic in polo.

Jacobus Quatius,
 Servest. Anh.

B

V. Eno.

Filij terræ data sint licebit
Ossa: Mens cœli subiit beata
Tecta; Jam fulget jubar ut coruscum
Omne per ævum.
Vultu ibi semper fruitur JEHOVÆ,
Quàm nimis lætus capit iste vitæ
Munera, & sedes habitat, colit quas
Turba beata.

*Arnoldus Varmundus Schröte-
rus Servesta-Anhaltin.*

VI.

Abstulit florem citâ mors decorum,
Qui charus extitit Patri.
Quo gravis de flore suo fovebat
Hanc spem Pater certissimam;
Quod senectutis foret ingruentis
Lævamen optatissimum.
At secus visum superûm Parenti:
Virentis ævi floridum
Carpit hic florem per acerba fata,
Virtute conspicuum bonâ:
Carpit & tollit viridis in juventâ
BECMANNUM Amicum candidum.
Lacrymis eccur decorare nolim
Sublatum Amicum candidum?

*Johannes Petrus Thumbecius
Eschenbacensis Archi-Palatin.*

VII.

Defunctus loquitur.

OMnia pessum abeunt, in ventos cuncta re-
cedunt,

Me tamen æterni suscipit aula DEI.

Nudus in hunc orbem veni, cinis inde revertor,

Opto DEUM toto pectore, terra vale.

Tu quoq; , chære parens, valeas mittasque dolorem,

Quin capiat finem magna querela suum.

Pone modum lacrumis etiam dilecta juvenus,

Exue ferali sindone pileolum.

Quid quæso lacrymas prodest profunderè multas?

Defunctos lacrymæ non revocare valent.

Sic superis placitum, nec me tibi casus ademit:

Cuncta etenim arbitrio stantq; caduntq; DEI.

*Ernestus Fridericus Schröter/
Jena-Thuringus,*

VIII.

Prob dolor! ut flores prima vix luce rubentes

Concutit Auster humi:

Sic flos afflatu tenui, BECMANNE, juventæ

Concidis ante diem.

Crescere vix cepit flos hic: sed mortis avaræ

Falce necatus obit.

Ast fuit in fatis, nimirum citò devia mundi

Linquere tesqua mali.

Vive.

Vivere nunc mundo mors est: sed vivere Christo

Vita salusq; homini est.

Felices animas! miserâ qua è valle recedunt

Tâm pede percipiti.

Ergo vive tuâ semper cum Matre beatus

Angelicoq; choro.

Martinus Quelmaltius

Serveſt. Anhaltin:

IX.

ASpera proh rabies lethi! inclementia fati!
Urbem quàm noſtram peſtilitate premis!
Damna quot in noſtra crudeliter urbe paraſti?
Quas juveni inſidias tu ſtruis, atque ſeni?
Expertus ſatis eſt hoc præſtantiffimus ævo
BECMANNUS, multâ quem premis ecce cruce.
Nam, dum vix ſteterat Conſortis flebile fatum,
Ecce novo luctu, (proh dolor) inſequeris,
Dum cædis ſobolem dilectam, (ô aſpera fata!)
Eheu! præteritæ quod redeant lacrumæ!
Magna patris cecidit ſpes, & mihi charus Amicus.
Ah dolor! occubuit, nec rediturus erit.
Lætitiæ aufugiunt, ſuccedit plangor & angor,
Nunc ſua ſuffundit lumina rore Pater.
Hunc quoque BECMANNUM Muſis operata
juventus,
Ingemit, ante diem fletq; obiſſe diem.

B 3

Sed

Sed cum nullus homo, quicumq; ubicunq; moretur,
Indomitæ mortis tela cavere queat,
Ponamus lacrimas, toleremus dura modestè,
Et placeant nobis, quæ placuere DEO.

Christophorus Janus,
Ballenstad: Anhalt.

X.

UT flos saepe tener cadit rosarum,
Aut prius legitur, fit apta quàm usu.
Sic & terrigenum dies leguntur,
Antequàm ad senium suum vebuntur.
Hoc, BECMANE, tuo doces, Sodalis,
Exemplo ac obitu mihi dolendo!
Ipsa qui in medio tue juventæ
Flore morte peris iniquiore,
Musas assiduè sacras colebas,
Parebas monitis tui Magistri,
Sincerum paribus dabas amorem,
Singulos facile & pati sciebas.
Inde carus eras tuo Parenti
Inde carus eras simul Magistro,
Inde carus eras mihi scholæq;
Sed usura tui brevis dabatur.

Flos

*Flos ut sæpè cadit rose virentis;
Sic tuum ante diem cadis repente.
Sed horto ex fragili novus rosarum
Flos in perpetuum es receptus hortum.
Illic perpetuò, vigesce, cresce,
Fructus fer placitos in arce cæli.*

Ernestus Stielerus,
Serv. Anh.

XI.

HÆc vita fluxa est, sors brevior quidem,
Sed tota vitæ meta brevissima,
Funus JOHANNIS CHRISTIANI
Hocce probat juvenis modesti.
Qui summa Patris spes vidui fuit,
Et corde vero qui coluit DEUM,
Et qui Decus gratum Camænis
Auxiliante DEO, futurus.
Jussis Parentis paruit optimi,
Nec non Magistri (testis ego) sui,
Qui nos suos commilitones
Plus oculis propriis amavit.
Jam flosculum illum proh dolor! optimum,
Ipsis sub annis (heu) juvenilibus
Et præter expectationem
Mors violenta rapit necatque.

Functæ

Functæ Parenti jam similis suæ
Natus triumphat sede poli in sacra:
O singulis nobis relictis
Patria nostra sit hæc perennis!

*Rudolphus Güntherus Kieseuvet-
terus facieb.*

XII.

Siccine, *JANE*, peris tenero sub flore juventa
BECMANNE, condiscipule, qui fratris loco.
Et desiderium nobis nunc triste relinquis,
Cunctumque nostris tollis animis gaudium.
Exemploq; doces tenui pendentia filo
Cuncta esse reliquis rebus in mortalibus.
Est homo persimilis sæno per prata virenti:
Est flosculus, qui nunc agris viget satis:
Quem simul attigerint urentis flamina venti,
Devictus en calore tenero concidit:
Disce igitur juvenis; Disce, ô homo! vivere rectè:
Moriq; disce bene: Beatus tum eris.

*Melchior Theodorus Junior
Serevest. Anh.*

F I N I S.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

VDA







SUS
VULSTORPII,
per mortem repentinam
lorum paris,

CHRISTIA-
MANI,

EINRICI
RII,

Clarissimo

IANO,

rintendente Serveſt. d. 3.
æ natus, d. 24. Aug. circa
o ætatis decimo
atus:

RI filius,
q; intra biduum epidemiâ peſtis
m ſuum obiit,
M. DC. XXXVII.

ſſui
nmilitones, cum primis
s atq; doloris conteſtatio-
nt quorundam
erata

EPICEDIA.

is Andreae Bezelij,
XXXVII.